1513.

4° Diss. 3661. (

DISPUT

STER
QV
Bon de

AN
RECTORE
REVEREN

PHILI
S.R.I.C
SACRÆ CÆSAREÆ A
TIMO, NEC NON ME
VIRENSIS, CANONIC
EPISCOPO; EMIN
LIARIO INTI

EX DECRE
IN PERANTIQV

DN. JOA
MED. DOCT.

DN. PROMO

GRADUM DO
LEGIA
PUBLIC

4° Diss. 3661 (22
1513

Q. D. B. V.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

STERILITATE SEQVIORIS SEXUS,

Von der Unfruchtbarkeit der Weiber/

QVAM

ANNUENTE ARCHIATRO SUPREMO,

RECTORE HUJUS ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO,

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,

DOMINO

PHILIPPO WILHELMO,

S.R.I. COMITE de BOINEBURG,

SACRÆ CÆSAREÆ ATQUE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESIARUM, MOGUNTINÆ ET TREVIRENSIS, CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE SUPREMO CHORI-EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIIQVE ERFFURTENSIS PRO-PRINCIPE;

EX DECRETO AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS,

IN PERANTIQVA ELECTORALI ACADEMIA ERFFURTENSI

SUB PRÆSIDIO

DN. JOANNIS PHILIPPI EYSELII,

MED. DOCT. ANATOM. CHIRURG. & BOTAN. PROF. PUBL. ORD. FAC. MED. ASSESS. ORD. P.L.C.

DN. PROMOTORIS & PATRONI sui ætatem devenerandi,

PRO LICENTIA

GRADUM DOCTORIS eique annexa INSIGNIA ac PRIVILEGIA more Majorum legitimè consequendi,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

A. & R.

JOHANNES CHRISTOPHORUS WILLE,

Schmœlla-Misnicus,

Die XI. Martij, M DCC XIII.

Horis & Loco consvetis.

Typis JOH. HENR. GROSCHII, Acad. Typogr.

Digitized by Google

VIRO

Prænobilissimo, Excellentissimo atq; Experientissimo Domino,

DOMINO

HERMANNO FRIEDERICO TEICHMEYERO,

PHIL. & MED. DOCTORI CELEBERRIMO, ILLUSTR. S. R I COMITIS de HAZFELD & GLEICHEN ARCHIATRO & MEDICO PROVINCIALI,

NEC NON

VIRO

Maximè Reverendo, Amplissimo atq; Doctissimo Domino,

DOMINO

CHRISTIANO DANIELI Langhuß /

THEOLOGO PIISSIMO AC AULÆ DUCALIS, QVÆ EISENBERGÆ EST, CONCIONATORI MERITISSIMO,

Dominis, PATRONIS, PRÆCEPTORI & respectivè PATRUELI, omni pietatis cultu devenerandi,

Hanc suam DISSERTATIONEM INAUGURALEM cum voto omnigenæ prosperitatis

Dat, Dicat. Dedicat

JOHANNES CHRISTOPHORUS Wille.

Digitized by Google

B. C. D.

PRÆFAMEN.

Vam ob cauſam, Benevole Lector, loco Speciminis Inauguralis materiam De Sterilitate Seqvioris Sexus ſelegerim, ſciendum, quod conſentiente Gratioſo Ordine Medico, in Perantiqua hac & Illuſtri Academia Erfurtenſi, non tam argumenti raritas, quam hujus miſeriæ in matrimonio familiaritas, hoc thema mihi ſuppeditaverint. Maximè itaque intereſt, ut hanc miſeriam Medicus bene contempletur, eandemque cognitis cauſis, curandi, in-

de ducat rationem: Hinc quâ fieri poteſt brevitate hoc pertractare ſuſcepi. Sed antea officioſisſimè abs Te rogo, ut hæcce quæ ſcripſi, æquâ mente dijudicare, caſtisque hasce Theſes oculis adſpicere, & errores, ſi quidam irrepſere, exculare velis. Quoniam verò monitum, quod ſatis pium, *Hippocratis Lib. de Natura Muliebr:* ad animum mihi accidit: δεῖ δὲ τὸν ὀρθῶς ταῦτα χειρίζοντα πρῶτον μὲν θεῖον ἄρχεσθαι: *Oportet autem qui hæc* (ſcilicet curam Muliebrium affectuum) *rectè tractare vult, primum quidem ex Diis ordiri*, ideò devota ſuſpiria ante tractationem hujus Diſſertationis ad cœlum mitto, & DEUM Terque Optimum, Terque Maximum ſummumque Archiatrum, qui ſtudiis meis Academicis ſemper adfuit, ſupplex oro, ut etiam hisce meis conatibus Divinâ ſuâ clementia benignè

gnè asſiſtere dignetur, ut omnia cedant in Sui Gloriam, Proximi commodum ac ſalutem,& Momi detrimentum!

§. I.



Um in hac Diſſertatione nobis animus ſit impedimentum generis humani propagationis explicare i. e. STERILITATEM SEQVIORIS SEXUS deſcribere,primò meritò à nomine ut ordiamur, neceſſe erit, idcircò hac vice ab Etymologia initium ſumendum erit. Inquirenda igitur venit vox Sterilitas, deſcendens ex græca voce στείρα id eſt privare,orbare. Quoad *Homonymiam* ſumitur vox ſterilitas vel *latè* vel *ſtrictè*: Si *latè* ſumatur, denotat omnem privationem in genere v. gr. quando de ſterilitate & aridura terræ,defectu frugum in agris & fructuum in arboribus tantum ſermo eſt: *Strictè* verò ſumitur à Medicis,quando omnem generandi impotentiam & ſobolis defectum in matrimonio indicare ſolet, & de hac ſterilitate occupati ſumus in præſenti. Quoad *Synonymiam*, audit etiam ſterilitas apud Latinos infœcunditas, vanus concubitus, caſſus complexus, imprægnationis difficultas, Germanicè die **Unfruchtbarkeit der Weiber/das Unvermögen oder die Untüchtigkeit zum gebähren.**

§. II.

Absolutâ nominis contemplatione jam aggredimur ipsam definitionem realem, quam sequenti modo formo: *Sterilitas nihil aliud est, quam Mulieris, maturâ ætate gaudentis impotentia ad sobolis conceptionem, fœtumque perficiendi, à vitio partium genitalium tam solidarum quam fluidarum dependens.*

§. III.

Subjectum sterilitatis *quod* est uti ex definitione patet, fœmina ad conjugium apta. Fœmellæ verò in ætate infantili constitutæ virum nullo modo, vel maximo cum dolore admittere possunt, quoniam ob angustiam viarum mentulam virilem admittere haud valent, hinc etiam excipiuntur à sterilitate; nam hæ ad conjugium non prius aptæ redduntur, nisi tributum lunare sic dictum ab illis antea solutum sit; hoc præprimis accidit circa annos pubertatis, nempe annum XIII, XIV, XV. ubi simul mammæ elevantur, & tunc in momento ad conjugium dignæ habentur.

§. IV.

Subjectum sterilitatis *quo*, sunt partes genitales ipsæ mulierum tam solidæ quam fluidæ, adeò illæ fœminæ tantum steriles dicendæ, quæ in matura ætate non nimis tenera & nimis senili viro habili sano & fœcundo unitæ, ne quidem fœtum concipere, sed etiam parere nequeant.

§. V.

Conceptio verò a sola fœmina obtineri nequit, nam

Digitized by Google

nam in ejusmodi actu requiritur duarum personarum materialis & personalis congressus : Mulieres nempè in coitu membrum virile in pudendis & vagina uteri excipere, & semen, quod à viro emittitur recipere, receptumque retinere debent, usque dum ab aura ista seminali ovulum quoddam maturum actuatur & irradiatur: Per hanc irradiationem nimiam embryoni in ovulo incluso vita communicatur: Quando vero accidit, ut mentulam non excipere, semen recipere, receptumque retinere queant, tunc sine dubio culpa steriliratis illis adscribenda. Absurdum etiam esset omnem sterilis conjugii causam fœminis adscribere velle, & unice in illis quærere, tamen experientia docente, ubi viri, duas vel tres uxores deinceps sortiti, tamen nullam sobolem asecuti sint, & vicissim fœminæ à sterili conjugio morte mariti solutæ, etiam non ita amplius per ætatem alacres, tamen postea fœcundum impetraverint matrimonium, teste *Excell. Stahlio in Dissert. de Sterilitate.*

§. VI.

Perlustrata jam parte affecta, attentius causarum investigationi invigilandum erit. Hæret itaque culpa alia in pudendis, alia in vagina uterina. In pudendis considerandæ veniunt primum Clitoridis nimia elongatio, animio in fluxu humorum adeò increscens, ut sæpissimè ad instar penis è vulva propendeat, & hinc coitum cum viro multum arceat: Hoc malum fit utplurimum in libidinosis subjectis, vel in virginibus, vel in viduis, vel etiam conjugatis. Hoc inutile incrementum clitoridis,

endemium

endemium *Arabibus* & *Ægyptiis* esse malum, *juxta Veslingium in Syntagmat. Anatom. Cap. 7. pag. 108.*

§. VII.

Nymphæ etiam huc referuntur, quæ interdum p. n. excrescunt, ut non solum labia externa vulvæ protrudant, sed & extra ostium uteri externum protuberent, & sic ingressum mentulæ difficilem reddant. *Panarolus Pentecost. 4. Observ 3.* in meretricula nympharum tantam vidit magnitudinem, ut Torpedinem repræsentarent, quarum aspectu omnes ac singuli amantes fugam petierunt.

§. VIII.

Quando verò culpa in vagina uterina hæret, tunc multa etiam consideranda occurrunt, quæritur nempè, an sit imperforata? Hæc fit, quando labia vulvæ in interna parte cohærent, & carunculæ myrti formes concretæ sunt, hanc ob causam etiam mentulam admittere non valent. Fit nempe hæc imperforatio vel à nativitate, qualequid observavit *Magnificus Dn. D. Slevogtius, Patronus ac Præceptor meus ad cineres usque devenerandus*, in infante quodam recens nato, vel fit à variolis quam sæpissimè, vel à violentâ quadam stupratione, ubi carunculæ myrtiformes vulneratæ concrescunt, & sic subjectum imperforatum reddunt.

§. IX.

Quæritur porrò an uteri prolapsus & vaginæ adsit? Hoc accidit, quando nempè uterus ligamen-

tis

tis ſuis membranoſis laxatis deorſum ruit, & in vel extra vulvam propendet. Hoc ſymptoma contingit frequentisſimè poſt partum difficilem, ubi poſtea fœminæ ſteriles redduntur : Pertinet huc quoque orificii uterini nimia anguſtatio, quo membrum virile admittere vel recipere valet.

§. X.

Tabidæ ac hecticæ utplurimum ſteriles obſervantur, nam in illis uteri nimia ſiccitas ſemper adeſt, item, quæ ad continuas hæmorrhagias inclinant, illæ raro vel planè non ſobolem procreare poſſunt. Nonnulli etiam incuſant pilorum in pudendis & menſium defectum, & nituntur proverbio germanicis uſitato : **Wenn der Baum nicht blühet/ kan er auch keine Früchte bringen** / licet experientia ſæpe docuerit, quod fœminæ conceperint atqve peperint, qvæ tamen fluxum hunc rariſſimè vel planè nunqvam habuerint.

§. XI.

Interdum id accidit, ut vulnerationes & exulcerationes ſeu cancer vaginæ uteri admiſſionem ſeminis virilis impediat; nam *Hippocrates lib : I. de morbis mulierum*, bivium agnoſcit ulcerum uteri eventum, *vel mortem prædicit, vel ſterilitatem:* Sterilitatem ob inductum interioribus callum, unde ſæpe menſes penitus ceſſarent. In nonnullis enim fœminis poſt mortem uterum modo nimis calloſum, modo nimis auguſtum, item variis tumoribus non ſolum extrinſecis ſed etiam intrinſecis obſeſſum obſerva-

servarunt: Exempla extant plura *apud Rhodium Cent. V. Observ. 6. Bartholin. C. II. Hist. 60. Magnett. Bibliothec. Pract. T. IV.* quæ si ita sese habent, necessario sterilitas subsequi solet.

§. XII.

Mulieres videlicet porrò infœcundæ evadunt, lymphæ sive abundantiâ tantum, sive qualitate simul peccantis; *Hippocrates* itaque has *Sect. V. Aphor. LXX* ita descripsit sequentibus verbis: *Quæcunque fœminæ*, inquit, *frigidos & spissos habent uteros, & quæcunque præ humidos habent, illæ non concipiunt; extingvitur enim in illis genitura: tum quæ siccos & magis adurentes, ubi defectu alimenti genitura corrumpitur:* item id repetit alio loco: *Si uteri lubrici fuerint, mulier utero non concipit, semen enim foras elabitur.* Quo etiam spectat uteri laxitas, quæ vel naturaliter ita est, vel etiam à ♀ e nimiâ fieri solet.

§. XIII.

Huc spectat etiam coalitus, obstructio cornuum uteri, vel tubarum *Fallopianarum* excrescentia carnosa in tubis istis, item & fluor albus perpetuus; quæ si hæ sterilitatis causæ, omnis spes curationis decidit.

§. XIV.

Incusant porrò nonnulli scirrhum aut hydropem ovarii: ast *Excell. D. Nabothin Dissert de Sterilitate Mulierum* hoc approbare & affirmare haud vult, nam detegit ovula in ipsa uteri substantia, & defectum

Digitized by Google

ctum ovulorum in ovario per hæc ovula reſtituere poſſe, ſtatuit, nititur nonnullis obſervationibus conceptionem fieri absque ullius in teſticulis fœmineis veſiculæ ſubſidio: *Provoco*, inquit, *ad fœminas, quæ liberorum extiterunt matres, etiamſi teſtes habuerint ſcirrhoſos & omnibus veſiculis vacuos. Sic anno 1701. multis Medicinæ Studioſis præſentibus fœminam 34. annorum diſſecui, cujus uterque teſtis magnitudine fere pugni, totus cernebatur ſcirrhoſus, necquicquam veſicularum vel glandularum exhibens, ſed inſtar cartilaginis fere ſeſe habens: Pluræ obſervationes de hac materia in allegata Diſſertatione proſtant.*

§. XV.

In generationis autem negotio certam proportionem & harmoniam inter marem & fœminam ſive utriusque animales *B. Ettmüllerus Oper. Tom. II. pag. 1079.* meritò requirit, ratione ætatis, temperamenti & vitæ generis, quibus penitus deficientibus hoc negotium maximè turbari poteſt.

§. *XVI.*

Nonnaturales cauſas ſupplent ſex res ita dictæ nonnaturales: 1. *Aër* craſſus, impurus, nebuloſus variisque effluviis nocentibus facilè fœminas ſteriles efficit: *Empedocles* obſervavit in fœminis Agrigentinorum huncce ventum in illis induxiſſe ſterilitatem. 2. *Cibus & Potus* peccans, *vel quantitate*, frequenter aſſumtus, & ebrietas uti continua cruditates ventriculi efficit: quod ebrioſæ rarius concipiant, demonſtrare conatur, *Riedelinus lin. Med. A. 4. pag. 601.* exemplo mulieris ſterilis, ab ebrietate crebriori:

briori: pravi humores enim auræ seminalis vim ac penetrationem suffocare ac supprimere valent, vel qualitate, uti epithemata utero applicata ex agno casto, ruta, sabina, mentha, hyosciamo, mandragora, solano, cicuta, opio &c. mulieres steriles efficere solent: pari ratione hoc dici meretur de saccharo ♄ni & camphoratis juxta vulgatum illud: Camphora per nares, castrat odore mares, & viceversa etiam mulieres 3 Somnus & vigiliæ hic etiam minimè sunt excludendæ: per somnum nimium & immoderatum copia excrementorum coacervatur, & sic facilè ad cachexiam inclinare valent; vigiliæ verò nimiæ, ☾ & vires mirum in modum debilitant. Par ratio quoque est 4. Motus & quietis, istius deficientis hujus excedentis: nocent v. gr. ratione motus omnes saltationes nimiæ, vociterationes & sternutationes post congressum, ubi semen utplurimum rejicitur: ratione verò quietis vita sedentaria meritò interdicitur, quoniam hanc ob causam tota MSnea nimis inviscatur. 5. Excreta & Retenta hic etiam referuntur; siquidem excernenda si plus justo ordine retineantur, hominis ruinam maximam minantur & viceversa, v. gr. nimius menstruorum fluxus, V. S. reiteratæ nihil aliud quam sterilitatem efficere solent, item & aliæ evacuationes per vomitoria, purgantia fortiora, balneationes continuatæ in thermis &c. 6. Ratione animi pathematum hæc dixisse sufficiat, quod ira vehemens, mœror, terror, timor, odium ac aliæ animi passiones ad sterilitatem multum contribuant; juxta *Ætium* hoc notum est: Invitos amores steriles esse, desideratos verò fœcundos.

§. *XVII.*

Digitized by Google

§. XVII.

Supranaturales è numero cauſarum non excludendæ ſunt: Nam ſæpiſſimè teſtatur experientia, quod veneficia, faſcinationes magum ac ſagarum novis nuptis nocere poſſint in conjugio ligando, ne coire, vel debitum conjugale ſibi invicem reddere & ſobolem progenerare queant, & quidem permittit hoc DEUS ex divinis cauſis. Hoc ſcelus inſtituunt talismodi malè feriati homines, utplurimum per ſeræ penſilis clauſuras & ligationes magicas, quas vocant, das Neſtel-Verknüpffen / quæ ligatio fit inter benedictionem Sacerdotalem. *Bodinus in Demonamia Lib. II. Cap. 1.* nonnulla exempla de hac ligatione allegavit, quæ etiam extant in *Tractatu de Injuriis quæ haud raro novis nuptis in fieri ſolent*, durch das Heckerling ſtreuen/durch ungebührlichen Einſpruch und durch das Neſtel verknüpffen: Sciendum tamen quod talismodi malefici homines talia maleficia magis in viris quam in fœminis exerceant.

§. XVIII.

Aſt notum ex ſacris literis, liberos donum DEI eſſe, & ab illius benedictione fœcunditatem matrimonij exorandam venire, hanc ob cauſam in omni ſterilitate ejus divina voluntas concurrit. Exempla plura extant in S. Scriptura ipſa, inprimis in Patriarchicis Matronis videlicet *Sara*, quæ *Geneſ. XVI. 2.* gemens in ſequentia verba erumpit: Siehe der HErr hat mich verſchloſſen/ daß ich nicht gebähren kan / item *Geneſ. XXIX, 31. proſtant de Sterili Rahel* ſe-

Digitized by Google

quentia verba: Da aber der HErr sahe / daß Lea (den Jacob) unwerth war / machte Er sie fruchtbar und Rahel unfruchtbar: Porro legitur *1. Sam. I. 5. de Sterilitate Hannæ* ita: Der HErr hatte ihren Leib verschlossen / daß sie nicht gebähren kunte / quæ omnia illustrant ac probant, fœcunditatem à DEO T. O. Maximo primariò dependere.

§. XIX.

Ad morborum cognitionem semper certa requiruntur signa *Diagnostica*, quæ præsentem morbi statum pronunciant, quam etiam *Prognostica*, quæ morbi futurum statum & eventum manifestant. *Diagnosin* quod attinet, Medicum cognoscendam opus habere putassem, an nempe maritus an fœmina in causa sit; ast hæc plerumque impossibile quoddam est, (uti jam suprà §. 5. nobis sermo fuit) nisi sterilitas à vitiis formationis externis dependeat: Reperiuntur quidem fœminæ ad faciem satis sanæ & floridæ, quæ tamen à vitio partium genitalium intrinseco in fœcundæ evadunt; his ita se habentibus nihilo prius quam post mortem antecedente inspectione, Medicus de hoc vitio judicare potest: Veteres verò variis scrutabantur modis an mulier an maritus causa sterilitatis debeat censeri variis ridiculisque experimentis: itaque nonnulli cum *Hippocrate svadente L. V. Aph. 59. & L. V. de Mulierum morbis*, Mulierem culpa sterilitatis suspectam esse, quando antea undiquaque pannis accuratè circumtecta & suffimigio v. gr. ex mastiche, succino, thure, storace aliisque subter adhibito, odorem per corpus in naribus & ore non perceperat, creditu-

ri,

Digitized by Google

turi, uteri vias per diaphragma apertas esse; si mulier verò nihil horum perciperet, maritum extra culpam sterilem esse enunciabant: Nonnulli etiam juxta *Hippocratem* manipulum avenæ jubent macerare in ☐ utriusque sexus, & deinceps in ♁m spargere volunt avenam, cujus avena non germinet de sterilitate sit accusandus. Porrò etiam apud *Romanos* instituebant sequens experimentum; hi nempè fœminam dolio vini super imposuerunt, quando verò in ore non perceperat odorem vini, tunc illam causam sterilitatis esse putarunt: sed hæc experimenta recensita nullo nituntur fundamento; Si verò sterilitas à morbis aliis pudendorum externis orta sit, tunc Medicus dicere potest, hanc vel illam causam esse sterilitatis.

§. XX.

Examinata jam Diagnosi, tandem ad Prognosin nos convertimus, quæ facilè instituenda; sciendum ergò, quod nempè sterilitas non tam malum periculosum quam utplurimum tædiosum dici mereatur, nam tardiùs senescere quædam observantur Quando itaque organa ad conceptionem & generationis opus destinata desunt, absolutè medelam non promittit. Facilis cura est in imperforatione, clitoridis elongatione &c. difficilior verò, quando carunculæ myrtiformes concretæ & orificium uteri penitus clausum reperitur: quando verò totalis obstructio ductuum *Fallopianorum*, fluor albus perpetuus, atque excrescentia carnosa in tubis *Fallopianis* adest, tunc omnis spes curationis decidit.

§. XXI.

Digitized by Google

§. XXII.

Perluſtratis perluſtrandis jam accedendum ad curationem ſterilitatis ipſam, quæ variat pro cauſarum varietate, & quidem ut ordine procedamus: In nimia Clitoridis elongatione, operatio Chirurgica & quidem exſtirpatio ipſius ſuſcipienda erit, quæ fit vel ligatura circumjectâ, vel ſectione (quod mihi optimum eſſe videtur,) quæ nimirum cultro falcato propè radicem clitoridis inſtituitur, caveatur verò meatus ⊡rij & ejusmodi crurum læſio. Finita ſectione proſpiciendum, ut linteaminibus carptis præparatis, pulveres ſtyptici adſtringentes cum emplaſtro quodam adſtringente, applicentur, partim ut oſtiola aperta conſtringantur & ſanguis profluens coaguletur; hoc fit v. gr. Empl. contra rupturam &c. & ſplenio majori, quæ deinceps omnia faſcia cruciata ſunt conſtringenda.

§. XXII.

Nympharum increſcentia etiam operationem chirurgicam expoſcit, nimirum, quando à ſuperfluo humorum affluxu originem ducit, tunc ejusmodi excreſcentia cultro radicitus auferenda, non neglectis medicamentis balſamicis & exſiccantibus, quibus nempè vulnus iterum conſolidandum; quando verò à lue ♀ea dependere ſolet, tunc cauteria ☿ialia appropriata applicanda v. gr. ☿♆ ruber. Eſſ. ☿♎ti item cum ▽☿li, Tinct. ☿ii acri & ♌♆i fœtido ana mixto, vel quaſi optimo remedio ♌ Flammifico *Boylei* calloſitas & hyperſarcoſis auferenda: Ultimo verò Balſ. Peruviano, Ungvent. Purpureo

Felicis

Digitized by Google

Felicis Wurzii, vel Ægyptiaco, æthiope minerali & ☿ io dulci mundificari debet, non neglectis etiam internis v. gr. temperantibus & antiſcorbuticis uti ſunt decocta lignorum, Tinct. bez. *Wedel.* ʒij le *Morts*, Eſſ. balſ. Copayvæ cum Tinct. ʒij parata, Eſſ. liquorum dulc. ambræ, Succini, myrrhæ &c.

§. XXIII.

In imperforatione etiam chirurgica operatio adminiſtranda, nempè methodo Recentiorum, vel lanceola majori, vel cultro falcato, vel myrtiformi; ſectio juxta longitudinem naturalem inſtituenda; deinde vulnus laminis plumbeis interponatur, ut ſic coalitus iterum ſubſequens præcaveatur: Plura vide apud *Chirurgos*.

§. XXIV.

In vaginæ verò prolapſu & uteri inverſione, eò allaborandum, ut repoſitio iterum convenienter fiat, quando aliter hic prolapſus recens, non verò confirmatus & major obſervatur. Repoſitionem verò uteri docet *Joh. Munnik in Chirurgia Lib I. pag. 187.* qui legi ac perlegi poteſt. In hac operatione commendantur verò medicamenta travmatica, roborantia, uterina, carminativa, anodyna v. gr Eſſ. Travmatica, Succini, hyperici, aromatica, lignorum dulcis, caſtorei *Deckeri*, theriacalis balſamica *Slevogtij*, ☌☋☉★ci ſuccinatus, matricalis *Dolæi*, Elixir uterin. *Crollij* vel *Wedelij* &c. Externè verò uteri regioni applicentur fotus ex herbis roborantibus nervinis v. gr. ex herba matricariæ, ſalviæ, rorismarin. agrimon. ſaniculæ, ſerpill origani, millefol. hyperici floribus anthos, chamomill, lavendulæ,

Digitized by Google

cheyri, roſar. ſem. cumin. coriandr. cum lacte vel vino coctis. Quando verò nulla perfectæ curationis ſpes ſupereſt, tunc fœminæ applicentur circuli uterini & globuli, vel ex cera vel ex ſubere parati. Uterus verò non exſtirpetur ſectione, quale exemplum *Excell. D. Teichmeyero*, *Patrono ac Præceptori* meo ad urnam usque devenerando, notum eſt, de chirurgo quodam imperito, qui talismodi ſectionem inſtituit, fœminæ tamen ſalvâ manente vitâ.

§. XXV.

Quando nimia ſiccitas uteri obſervatur, uti in tabidis ac hecticis fieri ſolet, tunc humectantia adhibeantur v. gr. Potus Thée, & in plebejis veronicæ, potus lactis, aliaque ſpecifica uterina. Hæmorrhagiæ permittunt V. S. In nimio menſium defectu autem Emmenagoga aperientia locum inveniunt.

§. XXVI.

Lymphâ, quando abundantia peccat, tunc purgantibus hydragogis, ſudoriferis, & diureticis imminuenda Laxitas uteri ſi naturaliter obſervetur, aromaticis leniter adſtringentibus v. gr. Eſſ. contra ſterilitatem *D. Mich.* auferri ſolent. Si verò à nimio ♀is uſu dependeat, tunc hoc ♀is exercitium penitus interdicatur, ut uterus robur priſtinum ſuum acquirat, interea aromatica & blandè adſtringentia convenire ſolent.

§. XXVII.

In fluore albo, evacuantia & temperantia locum inveniunt v. gr. Sudorifera, decocta & eſſentiæ lignorum, item & injectiones ac peſſaria ex leniter

Digitized by Google

ter adſtringentibus & roborantibus v.gr. Viſc. quercin. coct. granator. alum. crud. thur. maſtich. fol. myrt. plantag. ſymphit. flor. balauſtior, roſar. rubr. &c. quo etiam ſpectant thermæ tam naturales quam artificiales ex herb. matricar. artemiſiæ ſalv. rorismarin. majoran. melisſæ hyperic. ☉le comun. ♀e & One paratæ : huc ſpectant etiam ſuo modo ✝dulæ.

§. XXIIX.

De curatione in ſterilirate à faſcino ſequens notandum ex *Zachia in Quæſt. Medico-Legal. Lib. 3. Tit. 1. Quæſt. 5. num. 56.* quod hic morbus ſit ſupernaturalis, qui naturalem curationem non admittere valeat : hinc tale maleficium nemo curare poteſt niſi ipſe DEUS omnipotens, vel Dæmonicæ artis periti : hoc probat *Binsfeld in Tract. de Confeſſione Magar. pag. 27.* ſequentibus verbis : Die Zauberer und Unholden können viel Kranckheiten heilen / denen kein Doctor der Artzeney helffen mag. Chriſtianus verò ſalvâ conſcientiâ magos conſulere nequit, ob ſeveriſſimam DEI prohibitionem, quæ reperitur *Levit. 19. verſ. 31.* ubi ſequentia verba extant : Ihr ſolt euch nicht wenden zu den Wahrſagern / und forſchet nicht von den Zeichendeutern / daß ihr nicht von ihnen verunreiniget werdet / denn ich bin der HErr euer GOtt. Audiatur etiam magnus *Theologus Tubingenſis D. Theodorus Thummius in Tract Theol. de Sagarum impietate nocend. imbecill. quæſt. 7.* qui de hoc curandi modo ſequens in medium profert judicium : Prohibita eſt, inquit & inexcuſabilis hæc recuperandæ valetudinis ratio, & ſemper Dæmon lucrũ aliquod ſibi ex ſuis curationi-

bus venatur, ſemperque animæ, interdum etiam corpori nocet: quia ſemper aliquid admiſcet, quo fiduciam homo in ipſum profiteatur, vel quo eos à DEO ad creaturas avertat, & à cœleſtibus curis ad terrenas ſordes, à ſeriis ad nugatoria deducat, vid. *D. Conringii Diſſ. de Incantatione.*

§. XXIX.

Denique Diætæ regimen probè obſervandum eſt, hæc ita dirigenda, ut ſuperius allatæ cauſæ non-naturales, quantum fieri poteſt; præcaveantur & removeantur. Experientia interdum docet, quod per aëris mutationem ſteriles fœminæ ſæpius fœcundæ ſint factæ: Alimenta ſint boni ſucci, evitentur omnes crudi, viſcidi ac flatulenti cibi: talismodi mulieres etiam non excedant potu nimis frigidô, vel aquæ vel cereviſiæ vel vini; vitetur etiam nimius potus & abuſus: ſomnus & vigiliæ neque excedant neque deficiant; motus non peccet in defectu & quies in exceſſu: excretiones debitæ ſerventur liberæ, ut naturæ ſint convenientes: nocent & nimiæ evacuationes per medicamenta heroica vel draſtica: coitus frequentior quoque non concedendus, item abſtinendum à mœrore & triſtitia, metu ac terrore. Quibus omnibus hactenus adductis legitimè adminiſtratis, & probè obſervatis, & in curatione & præſervatione à ſterilitate proſperum ac felicem eventum ſperare poterimus.

§. XXX.

Et hæc pro ingenij viribus & Exercitij Inaugurales Gratia DE STERILITATE SEQVIORIS SEXUS dicta ſunto: quod ſuper eſt, infinitæ DEI bonitati humillimas perſolvo gratias, pro hactenus conceſsâ Gratiâ, cui ſit Laus & Gloria in Sempiterna Secula.

T A N T U M!

Digitized by Google

e, interdum etiam
quid admiſcet, quo
catur, vel quo eos à
à cœleſtibus curis ad
oria deducat, vid.

probè obſervandum
us allatæ cauſæ non-
ſt; præcaveantur &
nterdum docet, quod
fœminæ ſæpius fœ-
nt boni ſucci, eviten-
ulenti cibi: talismodi
potu nimis frigidò,
; vitetur etiam nimi-
vigiliæ neque exce-
on peccet in defectu
nes debitæ ſerventur
ntes: nocent & ni-
camenta heroica vel
noque non concedens
-ore & triſtitia, meru
hactenus adductis le-
obſervatis, & in cu-
ilitate proſperum ac
imus.

x Exercitij Inauguralis
IORIS SEXUS dicta
i bonitati humillimas

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google